

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO DOM. CAROLO HARLÆO, EQVITI, DOMINO DE DOLOT REGIÆ TVRMÆ COMITI, &c.



ELIAS BEDA χαίρειν.



VLTIS nominibus tibi Domine, hæ nostri tyrocinij primitiæ debentur, siue enim gentis vti assolet nobilitas, cuius auspiciis in lucem prodeāt spectetur, Illustrissima Harlæorum & Achillis fratris tui summi Galliarum senatus nuper Principis, ius illud imprimus sibi vindicabit. Sin personæ dignitas, quis te antiquior, qui nō minus assumptis quam insitis, & conquisitis quam hæreditariis animi fortunæue dotibus emineas; vt non iniuria præclara illa epitheta quam Poëta Græcus Heroi suo ascribit, qui πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω *tibi conueniant; ad hæc accedit aui nostri Regij Archiatri & vniuersæ Albosiorū familiæ prisca deuotio nexúque, & mancipio vobis addicta, quæ nepotem vllo ingrati animi vitio laborare non sinit, nec obsequium hæreditarium repudiare,* πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας τῆς πατρικῆς φιλίας κληρονομεῖν καὶ ἀνάκαμψιν, *atque hominium quum primum per ætatem legitimam licuit non præstare, & licet nulla nobis suppetant munera quibus tantum virum expleam, Turpius tamen duxi totum abnuere, quam paruo defungi.* Νῦν μὲν οὖν σε Κύριε ὅπῃ τε καὶ ὅπως ἔχω τιμῶ ὡς ἂν μὴ ἀγέραστος τὸ γοῦν ἐμὸν καὶ τὸ κατ' ἐμὲ παρέλθῃς.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. FEB.

M. ANTHONIO ROBIN, DOCTORE MEDICO, MODERATORE. 611.

An lac nutricis viri conſuetudine deterius?

HOMO naturæ decus, formam habuit origine cœleſtem, corpus elementari materiâ conſtans, tum moderatâ temperie, cùm laudabili partium συμμετρία, verè θαῦμα θαυμάτων. Huius ſenſibilia principia duo ſunt, ambo paſſiua; Semen ἄψυχον, & menſtruus ſanguis. Illud fructibus plantarum analogum, ex omnibus corporis partibus deciduum, amabili maris & fœminæ complexu eiaculatum, viro quàm mulieri maiorem adfert voluptatem, impulſum ab vtero allicitur, allectum fœmineo miſcetur: facto conceptu ſtatim rationalis anima prima & ſola introducitur: quid ita? Conformatio non à Deo perficitur, licet rerum omnium conditore, non ab intelligétiis, non ab anima mundi, quæ verè figmentum eſt, non ab vtero, non à parentibus. Sed ab anima fœtus quæ ſibi ipſi domicilium fabricatur.

AT quia oportuit fœtum nutriri, natura prudentiſſima fœminam frigidiorem, non tamen ignobiliorem mare conſtituit, vt ex frigidiori temperamento menſtruus ſanguis colligeretur, tàm ad generationem, quàm ad nutritionem partium carnoſarum. Huius per vmbilicales venas ad iecur haudquaquam primogenitum vberiori appulſu fœtus alitur, donec grandior & calidior factus copioſius requirat alimentum. Tunc in vterò calcitrans, diſruptis tunicis, & acetabulis, crebrâ manuum & pedum motione, ἐπὶ κεφαλὴν, pari eius ac fœtæ contentione, diſtentis cruribus, indefinito tempore molitur partum, ſeptimo, octauo, & nono menſe vitalem.

POſt partum, infans nutritur lacte, quod corrupto ſanguine fit deterius; vt enim moueri cœpit embryo, prægnantibus ab vtero ad mammas mirâ naturæ prouidentiâ refluit ſanguis; etiam edito fœtu, partim ſponte, partim vi mammarum attractice, quam iuuant earum motus & exercitatio, puelli ſuctus, vaſorum amplitudo, immo fuga vacui naturæ infenſi. Hinc nota mammarum & vteri συμπάθεια, à qua humorum à mammis ad vterum; ab vtero ad mammas μετάστασις. Vtrumque alterius condolet calamitati; ſi mammæ gracileſcant abortus ſequitur, menſibus ſuppreſſis ſanguis ad mammas colligitur, furoris indicium; ſi papillæ palleſcant morboſum eſt vas. Quid plura? vt primùm mouetur fœtus ſui notam lac exibet, mammæ attolluntur, turgentque papillæ, lactis quippe (ex quo in infantibus generari nequeunt lumbrici) & menſtrui ſanguinis communis eſt materia, communes riui, vtrique gignendo eadem alimenta, eadem medicamenta proſunt.

VEnus cuius appetitum cunctis animalibus prudens natura inſeuit, nocet adoleſcentibus, ſenibus, melancholicis incontinentibus, biliosis libidinoſis, ſed μετανοητικοῖς, magis æſtate (mulieribus procaciore) quàm hyeme, antè quàm poſt ſomnum, frigefacto corpore quàm calfacto, vacuo quam pleno. Contrà prodeſt ſanguineis, pituitoſis, quos à grauiſſimis vindicat affectibus, ἀπεψία, malacia viris & mulieribus familiari, febribus malignis, torpore, melancholia, capitis grauitate. Huius tamen frequens vſus & immoderatum deſiderium coctionem minuit, ſenſus hebetat, obliuionem parit, tremorem, articulorum dolorem, colicos cruciatus atrociſſimos, renum & veſicę morbos, oris graueolentiam, dentium dolores, virium exſolutionem tantò grauiorem, quantò maior eſt voluptas, ſpiritus putredini obnoxios accendit, ſanguinem (cuius putredini nulla aduerſantur remedia) corrumpit, menſes virulentiæ expertes profundit, totum denique corpus viroſâ qualitate inficit.

NVtrix prorſus abſtineat vino & venere quæ (ſine Cerere & Baccho languens) lactis ſubſtantiam corrumpit, quapropter nec ludibundo conſpectu, nec baſiolis luctantibus, nec ſermone blando & ſalaci, nec mammarum ſuaui contrectatione, nec cæteris artibus amatoriis & illecebris, illi venereæ oblectationis efficax φαντασία & recordatio excitanda. Eligatur quadrata, fuſca, nitida, alacris, florentis ætatis, ἀπαθής, denſo magis habitu quàm raro prædita, pectore latiore, eminentiore, mammillis ſucculentis, duriuſculis, benè collectis, reſilientibus, iuſto interſtitio diſtinctis, lac (cephalalgicis noxium, phthiſicis antidotum,) ſit album, æquale, copiâ, & conſiſtentiâ mediocre, odore laudabili, ſubdulce, cuiuſmodi erit ſi ad mammillarum bonam conſtitutionem, partium nobilium laudabilis temperies, & idoneus rerum ſalubrium vſus acceſſerint.

Ergo lac nutricis viri conſuetudine deterius. 58



Proponebat Lutetiæ ELIAS BEDA Pariſinus. Anno R. S. H. M. DC. XXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus Quiquebœuf.		*M. Renatus Moreau.*		*M. Ioannes Couſin M.R.*
M. Claudius Lienard.		*M. Dionyſius Allain.*		*M. Hieronymus Goulu P.R.*
M. Ioannes Doſſier.		*M. Lazarus Pena.*		*M. Henricus de Blacuod. M.R.*